

Karolus secundus, dei gracia, Rex Ierusalem, et Sicilie, ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Forcalqueri Comes. Secretis Apulie tam presentibus, quam futuris, fidelibus suis, Graciam suam et bonam voluntatem. Cum in Signum universalis dominii, eius qui dat omnibus ex divina institutione noscantur decime constitute, horrendum profecto, et multa censetur animadversione plectendum, si per humanam fraudem et maliciam, in reddendis eisdem cuiusque subtraccionis vel dilacionis dispendium ingeratur. Supplicantibus igitur discretis viris (*sic*) Archipresbitero et Capitulo maioris Ecclesie Barolitane devotis nostris, ut super exhibendis sibi annis singulis quarta parte decime veterum Iurium Curie in dohana Baroli, et tarenis auri quindecim generalis ponderis super iuribus veteris Buccerie ipsius Terre, nec non cere libris sexaginta pro cereo pascale eis ratione ipsius Ecclesie per Curiam nostram debitis, In quorum exhibicione per officiales ipsius Curie fraudari, diversisque calumpniis se fatigari queruntur, oportunum adhibere remedium dignaremur; Nos fraudi et temeritati huiusmodi viam precludere omnino volentes, fidelitati vestre firmiter et districte precipimus, quatinus ad requisicionem dictorum Archipresbiteri et Capituli vel eorum procuratoris ipsorum nomine diligencius inquiratis, si huiusmodi quartam partem decime, tarenos et ceram que petunt, sint ipsi et predecessores eorum a tempore Catholicorum Regum Sicilie usque ad hec tempora nostra singulis annis percipere consueti. Et si per inquisitionem eamdem per vos presentes Secretos diligenter factam quam non ulterius fieri, set singulis vestris in eodem secretie officio successoribus, ut iterari eam non oporteat, volumus assignari, constiterit, ipsos Archipresbiterum et Capitulum ac predecessores eorum consuevisse percipere huiusmodi quartam partem decime, tarenos, et ceram, ea integraliter si in pecunia percipienda fuerint ut est dictum, Infra festum Pentecostes, si vero in